


30

R. P. D.
FALCONERIO

Toletana Decimarum ſuper bono Iure quoad Tenutas de Perobequez, & Vrtada.

Veneris 30. *Iunij* 1724.



Oſtquàm in Sacro Tribunali reiecta fuerat prætenſio Monialium Ordinis Sancti Dominici Toleti circa aſſertam exemptionem à ſolutione Decimarum ex Bonis, quæ proprijs Monaſterij ſumptibus colerentur, canonizato per Sententiam diffinitiuam bono Iure Reuerendiſſimi Archiepiſcopi eiuſdem Ciuitatis, etiàm ad effectum manutentionis, *vt ex deci-*

sione ante dictam Sententiam ædita 23. *Iunij* 1721. *coràm bonæ memoriæ Foscaro*, Causæ cognitio in gradu appellationis deuoluta fuit ad R. P. D. Cerrùm : Et quià Moniales allegatam exemptionem tueri non destiterunt saltèm quoad nouem Tenutas, quæ diù proprijs Monasterij expensis cultæ supponebantur; Hinc strictè assumpta inspectione quoad singula Tenimenta, geminæ emanarunt resolutiones, altera in totum approbans bonum Ius Archiepiscopi, & altera excipiens binas tantùm ex recensitis Tenutis, nempè illam de Perobequez, & Vrtada, *vt ex decisionibus editis* 26. *Iunij* 1722., *&* 15. *Ianuarij* 1723., ad quarum tenorem quamuis concessa fuerit noua Audientia respectu dictarum Tenutarum, quæ vltimo loco declaratæ fuerant exemptæ à solutione Decimarum, tamèn in reliquis partibus Causa fuit iterùm expedita mediante promulgatione Sententiæ confirmatoriæ; Idcircò directa mihi vlterioris appellationis Commissione vltrà dubium principale concernens confirmationem, vel infirmationem dictę Sententiæ, *de quo in contemporanea decisione*, proponi etiàm contigit coram Me in hodierna Audientia aliud dubium = *An sit standum in primo, vel secundo loco decisis quoad Tenutas de Perobequez, & Vrtada* =, & responsum accepi = *In secundo loco decisis* =

Quamuìs enìm apud Dominos non fuerit in dubium reuocatum, quod Reuerendissimus Archiepiscopus generalitèr fundatam habeat intentionem prò exactione Decimarum super omnibus, & singulis Bonis suæ Diœcesis, tùm ex assistentia iuris, tùm ex consuetudine vigente in tota Diœcesi Toletana, ex firmatis *in contemporanea decisione super bono Iure* §. *Validitas*; Nihilominùs cùm Monasterium Sancti Dominici respectu Tenutarum *de Perobequez*, *& Vrtada* hodiè iterùm docuerit de longęua, ac immemorabili consuetudine non soluendi controuersas Decimas, necessariò emergere videbatur ius exemptionis super hisce binis Tenimentis benè canonizatum, & approbatum extitisse in postrema decisione R. P. D. mei Cerri fauore ipsius Monasterij Sancti Dominici, non verò fauore Reuerendissimi Archiepiscopi; præstatio quippè Decimarum, siuè ex iuris dispositione, siuè ex particulari consuetudine facienda, vt certum est, potest contraria consuetudine coerceri, vel destrui, quatenùs ista fuerit legitimè inducta mediante præscriptione immemorabili *Abb.*, *& Felin. in cap. Cum Apostolica de ijs, quæ fiunt à Prælat.*, *& in cap. Causam num.*3. *de præscript.*, *Rebuff. de Decim. quæst.*13. *num.*46. *&* 69., *Rot. in Rec. decis.*23. *num.*1. *& seq. part.*6. : Eaque posita, validissimus oritur titulus ad allegandam exemptionem non soluendi Decimas, validèque etiàm contraponitur assistentiæ iuris militantis fauore Decimatoris vniuersalis, proùt est Reuerendissimus Archiepiscopus, iuxtà *Gloss. in cap. In aliquibus vers. quià Clerici de Decim.*, *Card. de Luc. de Decim. disc.*1. *num.*9. *&* 10., *Rot. coràm Cels.* de-

decis.110. num. 2. & seq., in Rec.decis.101.n.3. part.10., decis.145. num.12. & seq. part.11., & in Hispalen. Decimarum 3. Febr.1715. §.Distinguentes coràm Emin. Scotto.

Monasterium autèm Sancti Dominici quoad dicta bina Prędia reperiri in longęua, ac immemorabili possessione, & consuetudine non soluendi controuersas Decimas, censuerunt Domini, sufficientèr resultare ab examine plurium Testium facto de anno 1641.; dùm orta lite super prætensa exactione Decimarum Lanæ, Casei, & Agnorum prouenientium ex Grege per dictum Monasterium introducto in Territorijs de Perobequez, & Vrtada, dictæ Moniales aduersùs Promotorem Fiscalem opposuerunt de consuetudine immemorabili non soluendi Decimas ex quacumque specie fructuum, qui colligebantur ex dictis Prędijs proprio ære, & sumptu excultis; Datoque per Iudicem Termino ad probandum, productisque articulis, citata Parte, ac seruatis seruandis completum fuit examen præfatorum Testium, & signantèr Francisci Burgos, Christophari de Auila, & Aloysij Gomez, qui explicitè deposuerunt de visu, & certa scientia per annos 40., & vltra, deposuerunt de auditu à Maioribus, quòdque nihil vnquàm visum, vel auditum fuerit in contrarium, testantes de publica voce, & fama; Quibus concurrentibus requisitis dubitari non potest de perfecta, & concludenti probatione immemorabilis, iuxtà Glos. in cap.1. verb. Memoria de præscript. in 6., vt communitèr tradunt DD., & dixit Rota coràm Cels. decis.110. num.1. coràm Caualer. decis.56. num.1., & coràm Benincas. decis.352. num.2.

Quin vrgere visæ fuerint exceptiones iterùm propositæ contrà dictos Testes, siuè quia Processus eorumdem fuerit transumptus pendente lite, & sinè compulsorialibus Sac. Auditorij; siuè quia probationes factæ anno 1641. tamquàm expletæ in Iudicio possessorio, suffragari hodiè non possint in præsenti Iudicio petitorio; Constitit enim respectu processus dictorum Testium istum fuisse in Partibus exemplatum à Processu originali existente in Archiuio Cancellariæ Archiepiscopalis, & quidem à Cancellario Successore illius Notarij, qui de illo rogatus fuerat, citato etiam Agente generali reddituum decimalium; Et propterea stante exemplatione tàm solemnitèr facta, vana remanet quælibet oppugnatio circà legalitatem antedicti Processus, etiamsi exemplatus extitisset sine litteris compulsorialibus Sacri Tribunalis, vt in similibus terminis aliàs respondit Rota in recent. decis.332. num.4., coràm Dunoz. Iun. decis. 942. num.10., in Melleuitana Habitus 11. Decembris 1719. §. Nullaque coràm bo: mem: Foscaro, & in Leodien. Decimarum super bono Iure 16. Iunij 1721. §. Probè coràm Reuerendissimo Herrera; Testes autèm, ac probationes huiusmodi, quamuìs Anno 1641. emanauerint in Iudicio possessorio, quia tamen factæ non extiterunt cum simplici summaria informatione, sed benè post assumptam plenariam

riam cognitionem, præuio scilicèt termino per Iudicem assignato ad probandum, productisque articulis, ac citata Parte, hinc Testes prædicti tali pacto formitèr examinati in Iudicio possessorio, plenam constituunt probationem etiàm in Iudicio petitorio, vt distinguendo casum à casu benè firmatum fuit in *postrema decisione præsentis causæ super bono Iure 15. Ianuarij 1723. §. Quin refricari coràm R.P.D. meo Cerro*, & consonant tradita per *Abb. in cap. causam, quæ num. 7. de Testib., Bursat. cons. 75. num. 8. lib. 1., Rot. in recent. dec. 360. num. 9. par. 5.*

Similique modo attendi non mæruit, quòd dd. Testes examinati, ac repetiti fuerint super controuersia Decimarum ex fætibus Ouium Lana, Caseo, & Lactæ; Ideoque prodesse non possint in præsenti lite vertente super Decimis prædialibus soluendis ex fructibus dd. Tenutarum.

Vltrà quòd enim Decimæ, quæ soluuntur ex grege nouitèr introducto magis propriè accedunt Decimis prædialibus tamquàm subrogatæ loco segetum, quæ priùs percipiebantur, vt probat *dicta postrema decisio, quæ reuidetur §. Ità etiàm &c.*, cessare apud Dominos visa fuit quælibet difficultas, nàm denuò recognitum fuit in facto, quòd licèt quæstio excitata de anno 1641. promota particularitèr fuisset ob Gregem tunc temporis introductum in dictas Tenutas *de Perobequez, & Vrtadu*, nihilominùs Moniales ad euitandam ex illo solutionem Decimarum, assumpserunt probationes immemorabilis consuetudinis, ac libertatis illas non soluendi ex quibuscumque fructibus, qui recolligebantur ex præfatis Tenutis, Monasterij sumptibus excultis; Et propterea cum ex his pateat, exemptionem à Decimis animalium in dicto Iudicio comprobatam extitisse in vim generalis exemptionis à Decimis prædialibus, dubitari vtique non potuit de Testium releuantia, non minùs respectu animalium, quàm respectu aliorum fructuum, qui generalitèr ex dictis prædijs colligi contingat, & super quibus principalitèr cadit eorum depositio *Rota coràm Emerix Iun. decis. 45. sub num. 4. vers. ad tertium*, & probat *d. decisio R.P.D. Cerri 15. Ianuarij 1723. §. Ità etiàm &c.* quamuis Iudex tunc pronunciauerit tantùm quoad Decimas pecudum, non verò super omnibus, & singulis fructibus, quià id accidit ob limitatam instantiam in dicto Iudicio promotam per Ministrum Reuerendissimi Archiepiscopi, vndè Iudicis decretum non pugnat, nec remanet incompatibile cum probationibus generalitèr factis, sed sat est, quòd iudicialis definitio facta respectu animalium fundetur in generali ratione præcedentis immemorabilis, vt canonizatus remaneat titulus ab omni exceptione immunis, vt in proposito firmauit *Rota in Gnesnen. Decimarum 16. Iunij 1715. §. Adhuc tamèn cor. Eminentissimo Althan.*

Neque in his circumstantijs dici potest, quòd ità minùs congruè fiat extensio de re ad rem; Posito siquidem, quòd definitio fructuum respe-

respectu vnius Prædij, trahi non proponatur ad exemptionem alterius diuersi Prædij, sed res sit de eximendis a solutione Decimarum fructibus, sublato grege, iterùm collectis, & colligendis ex eisdem Tenutis de *Perobequez*, *& Vrtada*, proùt antè consueuerat, profectò cessat quælibet asserta extensio, nàm sicuti fauore Decimatoris vniuersalis in Prædijs non exemptis mutatio culturæ non tollit, nec minuit obligationem Prædij Decimabilis in qualibet specie fructuum, sed vna cessante, Ius exigendi Decimas benè trahitur ad fructus subrogatos, ad *Text. in cap. cum in tua*, *& cap. commissum de Decim.*, *Giurb. obseru. 39. num. 13.*, *& seq.*, *Couar. var. resol. cap. 37. num. 5.*, *Rot. coràm Mantic. decis. 341. num. 1.*, *& 7.*, ità respectu Tenutarum, quæ ex priuilegio, vel immemorabili consuetudine reperiuntur in quasi possessione non soluendi Decimas ex qualibet specie fructuum, mutatio de vna specie ad alteram non alterat acquisitam exemptionem, sed illa in specie subrogata optimè conseruatur ad tradita per *Butr. in cap. cum in tua de Decim.*, *Abb. in capit. cum Ecclesiam num. 54. de caus. possess.*, *Rebuff. de Decim. quæst. 13. num. 61.*, *Giurb. obseru. 39. num. 29.*, *Salgad. de reg. protest. par. 3. cap. 10. num. 314.*, *& seq.*: Necindè considerabilis est vlla extensio præiudicialis, nam cùm se habeat circà fructus eorumdem bonorum vigore immemorabilis exemptorum, reputatur eadem exemptio, & ratione compræhensionis in eis æqualis est determinatio *Posth. de manut. obseru. 73. à n. 136. cum plurib. seqq.*, *Rot. diuers. dec. 17. num. 3. par. 2.*, *coràm Seraphin. decis. 1203. num. 1.*, *& 2. cum alijs collectis in dicta postrema decisione R. P. D. Cerri 15. Ianuarij §. Tali autèm*.

Absque eo quòd titulo huiusmodi resultante ex consuetudine non soluendi controuersas Decimas quoad binas Tenutas, de quibus particulariter agitur, obesse Dominis visum fuerit documentum antiquæ concessionis anni 1364. alias allegatum per Moniales in Tribunali Signaturæ Iustitiæ, & nuper compulsatum, ac productum in Sacro Tribunali per ipsum Archiepiscopum; Præmisso siquidem, quòd enunciatio tituli veri non tollit præsumptionem alterius tituli resultantis ex centenaria, vel immemorabili quasi possessione, vbi vterque titulus non est incompatibilis; & Pars, quæ fundatur in ipsa immemorabili præscriptione in Iudicio illam non emisit restrictiuè, ac limitatè ad dictum titulum *Card. de Luc. de Iur. Patr. disc. 65. num. 4. disc. 57. num. 31. bon. mem. Ansald. in adnot. ad decis. 38. num. 17.*, *Rot. coram Benincas. decis. 352. num. 17.*, *& seq.*, *in Recent. decis. 29. num. 50.*, *& seq. par. 7.* præsertìm vbi titulus verus originem desumit ante centenariam, vel immemorabilem quasi possessionem, quia tali casu, & si idem titulus esset inualidus, adhuc non destruit, nec elidit immemorabilem, sed potiùs ex ea præsumitur validè confirmatus iuxta doctrinam *Innocent. in cap. veniens de verb. signif.*, *Ioseph de Rosa consult. 12. num. 88.*, *Adden. ad Gregor.* de-

decis.51. num.7., in Recent. dicta decis.29. num.52., & 35. par.7. decis. 193. num. 18. par.18., & in Verulana Abbatiæ 23. Aprilis 1706. §.Verum, & §. finali coram Reuerendissimo Lancetta.

In casu præsenti quodlibet obstaculum cessare videbatur ex dicta antiqua concessione, quia respectu Tenutarum *de Perobequez, & Vrtada* eiusdem antiquæ concessionis titulus vndequaque validus, & efficax dignoscitur ad substinendam exemptionem ex immemorabili possessione iam constabilitam dicti Monasterij; Cum namque dicto anno 1364. Archiepiscopus Toletanus ad instantiam Serenissimi Regis Catholici, & Agnetis Gargiæ eius Neptis, ac eiusdem Monasterij Fundatricis, sub explicita causa augumenti Diuini cultus, & prohonore Ciuitatis Toletanæ, alijsque initis conuentionibus, impartitus fuisset licentiam construendi in Domibus ipsius Fundatricis Monasterium clausarum Ordinis Sancti Dominici, concessa exemptione à solutione Decimarum pro tot bonis, ac Possessionibus assignandis vsque ad valorem 25. m. merapetinorum tunc currentium, & in sequelam ipsius concessionis anno 1374. de consensu Capituli à principio reseruati deuenisset ad æstimationem Tenutæ *de Perobequez cum duabus Vineis* à dicta Fundatrice assignatis, illasque vti non excedentes valorem marapetinorum 19. m. exemptas à solutione Decimarum declarasset; vtique posita adeò solemni concessione facta per Archiepiscopum in primæua Monasterij erectione, concurrente causa, & cum consensu sui Capituli, in quæstionem nequit reuocari, quòd exemptio in ea resultans tamquàm impartita longe ante sanctionem *Extrauag. ambitiosæ de reb. Eccles. non alien.* fuerit tali modo legitimè inducta, quòdque vti valida, & efficax seruari debeat etiam à successoribus Archiepiscopi, qui illam concessit *ad Text. expres. in cap. quia circa de priuileg. iuncta gloss. in verb. iuxta canonicas sanctiones, ibique Panormitan. num.2.*, alijque probant Canonistæ, & sequitur *Barbos. super dicto cap. num.3.*

Et hæc exemptio non solum valida dicenda venit respectu Tenutæ *de Perobequez* explicitis verbis contentæ in dicta antiqua concessione, sed etiam respectu Tenimenti *de Vrtada*, quod modicum esse supponebatur; Etenim cum Vineæ, quæ in ipsa Monasterij erectione, exemptionem receperant, fuerant successiuè per ipsum Monasterium distractæ, itaùt hodie ab illo ampliùs non possideantur, dictum Tenimentum *de Vrtada*, cuius respectu eadem continuata fuit exemptio, loco earumdem Vinearum subrogatum præsumitur, & propterea eius respectu resultare debet idem exemptionis effectus, dum id, quod dicitur in creatione, vel concessione locum habere debet in subrogatione diutissimè obseruata *Valenzuol. cons. 60. num.4., & cons. 69. num. 256., Castill. controu. Iur. lib. 4. cap. 36. num. 52., Rot. coram Emerix Iun. decis. 1181. num. 30.*

Præ-

prædictaque videbatur procedere, etiamsi longæua quasi possessio, & respectiua continuatio exemptionis respectu vtriusque ædij facta fuerit limitatè ad fructus perceptos ex cultura propri Monasterij sumptibus facta, dicta verò antiqua concessio fuerit definita, nec vllam restrictionem contineat; Priuilegia siquidem exemptiua à Decimis cum non præsumantur realia, sed potiùs personalia, fauent Priuilegiato in Bonis, quæ proprijs manibus, vel expensis excoluntur, non autem pro alijs arrendatis, ac retentis per Colonos, quorum fauore non extenduntur, vt ad litteram prob; *Text. in cap. licèt de Decim. Glos. in Clem. prima verb. excollendas & vers. sed numquid de Decim. ibique Canonistæ, Tamburrin. de Iur Abb. to. 1. disput. 15. quæst. 18. nu. 31., & seq., Rot. coram Seraphin decis. 827. num. 7., & per tot., coram Cels. decis. 118. num. 6., coram Coccin. decis. 615. num. 4., & in Recent. decis. 145. num. 10. par. 11.* & proindè quidquid sit de qualitate dictæ antiquæ concessionis tanquàm declarata ab obseruantia centenaria, quæ nouos etiam titulos producit, eadem concessio remanet compatibilis *Card. de Luc. de Decim. disc. 5. num. 4., Couuar. var. resol. lib. 1. cap. 17. num. 8. vers. 3., Rot. coram Mantic. decis. 341. num. 8., & in Ferrarien. Decimarum 15. Februarij 1717. §. final. coram me.*

Et ita conclusum fuit vtraque &c.

ROMÆ, MDCCXXIV.
Ex Typographia Reuerendæ Cameræ Apostolicæ

Superiorum permissu.